

sint, sed obligationes pecuniarias, ut praedictum est, persolventes removeatis, licet per pium vestrum praecessorem bonae memoriae officia vestra satis onerabiliter invenietis gravata, non sua, spero, cupiditate personali, quod, ut audiavi, nec pecunias novit nec dilexit, et male illis(?), qui hunc dominum tam pium, tam modestum, senio confectum et in huiusmodi factis quasi puerum effectum non suo bono, sed cupiditate sua ad tam grande onus totius terrae vestrae induxerunt. Nec fuit hoc consuetum ab antiquo officia pro pecunia sic obligare, quod non possent deponi ab officiis nisi prius pecunia persoluta. Quam dampnosum autem sit vobis et subditis vestris officia pro pecunia (f. 243) obligare, exemplum recipere poteritis experientia, quae vobis profutura est, et ex pluribus, quae partim nostis et ego novi. Saepius visum est et videtur cotidie, quomodo hi, qui lucra immoderata sectantur et captant deum non timentes, tales sunt, qui quaerunt et procurant, ut in officiis ponantur mediante pecunia. Et si quando a se ipsis pecuniam tantam, quae ad hoc sufficiat, non habeant, ab amicis, qui libenter lucri volunt esse participes, sub mutuo recipiunt vel sub usura conquirunt, et hoc totum in dominorum et subditorum dampnum redundat, maxime autem, cum ex ipsis officiatis aliquando sint nonnulli, qui lucra exercere usuraria consueverunt, quorum tanto minus conscientii in officiorum administratione et regimine credendum est. — Maxime periculosum est ponere administratores officiorum seu in quocumque regimine dominorum, qui deum non timent nec conscientiam de huiusmodi factis habent. Nam tales per tyrannidem subditos rodunt et opprimunt, computationes quoque aggravant et cumulant, ut dominis adempta facultate redimendi officia tanto diutius in officiis valeant permanere. — Haec magnificentiae vestrae scribo, ut similia inconvenientia vitare possitis, si placet. Proverbio enim dicitur¹:

‘Felix, quem faciunt aliena pericula cautum’.

Existimo enim non omnino infelicem, quem domino permittente propria informant discrimina, propter quod, domine generose, officiatis, quos experientia docente fideliter se in officiis habere noveritis, non de facili ad eorum ammotionem seu mutationem vos permittatis induci. Et ex quo ad bene agendum plerumque exempla plus prosunt quam

1) Vgl. MG. SS. XXXII, 418, N. 2.